

dem statuenda sunt, quæ paulo ante diximus, cum pisces, & ova cæteri pretio comparantur. Igitur pecculiari morbi, quamvis frequentes, imposterum pro causa solvente abstinentiæ non adducantur, nisi forte civibus universis idem morbi communes habeantur ob aliquam aeris corruptionem, & neque imposterum herbarum, olei, piscium, & ovorum pretia tantum ponderis esse censeantur, ut omnis civitas, vel diocesis ab instituto quadragesimæ Jejunio, ac temperantia liberari contendat. Quod si veras, ac legitimas à Nobis causas ad hanc facultatem obtinendam expetitis, duas potissimum percensebimus, quarum prima ex jure canonico, altera vero ab ipsa rerum magistra experientia, depremta est.

Innocentius III. quem superius nominavimus, eodem Consilium, de observatione Jejuniorum, Archiepiscopo Btcharenensi postulanti, qua pena plectendos judicaret illos, qui tempore quadragesimæ à carnibus non abstinuerant ob summam rerum caritatem, & angustiam, ita ut plures fame enecarentur? Respondit his verbis: Cum autem quereris, que sit illis penitentia injungenda, qui diebus quadragesimalibus, tempore, quo tanta famis inedia ingruebat, quod magna pars populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere sunt coacti: Respondemus: Quod in tali articulo illos non credimus puniendos; Preces tamen Domino pro illis, & cum illis effundat, ne ipsis aliquatenus imputetur, quia bonarum mentium est ibi timere culpam, ubi culpa minime reperitur. Si quis hoc tempore Episcopum adductus exemplo Bracharenensis Antistitis idem consilium peteret ab Sede Apostolica, tamquam ineptus, ac simplex haberetur. Sed illo ecclesiæ felicissimo seculo maxime pendebatur, ut æquum est, quadragesimæ præceptum. Hinc magna severitate inquirebantur illi, qui minime paruisset, licet talis causa intercederet, ut liberi ab eodem præcepto viderentur, nec ulla ratio habebatur Viros Principum, licet ipsorum incolunitas cum reipublice felicitate conjuncta putaretur, uti nos fuse ostendimus in decima quinta Nostrarum Institutionum libri primi; Sed his omissis, & aliis bene multis, quæ in hanc rem à Nobis congeri possent, illud primum delibamus non suppetunt ea, sine quibus præceptum quadragesimæ observari nequit. Itaque si revera in aliquo loco neque oleum, neque pisces comparari possint, tunc in collis ejusdem loci permitti fas est, ut lacte, & ovis utantur; Si hæc autem revera deficient, tunc carnis, salubris tamen, edendæ facultas concederetur, interposita semper servandi Jejunii conditione.

Insula S. Dominici in America Meridionali in temporalibus parit carissimo in Christo Filio nostro Ludovico Gallorum Régi Christianissimo, neque ullus ei præest Episcopus. Præfectus Patrum Societatis Jesu anno 1742. à Nobis quæsit, an ex concessione sibi facta à Sede Apostolica dispensandi super esu carniū, ovorum, & lactificinorum tempore Jejuniorum, & quadragesimæ, iudici posset sibi etiam datam fuisse facultatem dispensandi, nedum particulares personas, sed etiam multitudinem hominum, & omnes sui districtus incolas, quando contra Deo id expedire iudicaret: habitoque responso facultatem ei fuisse concessam dispensationem indulgendi particularibus hominibus, non autem multitudini hominum, & omnibus incolis sui districtus, pro concessione exoravit. Pro causa exposuit venenicam piscium qualitatem, exiguum piscatorum numerum, qui longe ab insula piscantes pisces deferabant aut fœcetes, aut corruptos ob nimios calores, paupertatem earum gentium, quæ oleum emere non poterant pro cibis quadragesimalibus necessarium, deficientiam denique oleorum, & leguminum, quæ in ea regione facile corrumpuntur, aut à vermicibus consumuntur. Re subinde mature discussa committimus Nobis in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis die 12. April. an. 1742. habita ratione regionis nimis remotæ, à qua quolibet anno impossibilis erat ad Sedem Apostolicam recursus; Indulgentes necessitati fidelium degentium in insulis regionis

Gallicæ in America, facultatem concessimus Præfectis Missionum illarum partium in casu veræ, & ineluctabilis necessitatis, & tantum de anno in annum, præfactaque vera necessitate durante, & non aliter, nec alio modo, ut possent, & valeret cum fidelibus populis ipsorum regionum commissis dispensare super esu ovorum, & lactificinorum, & etiam carniū tempore quadragesimali, indicta simul cum hujusmodi dispensatione observantia Jejunii per unicam comestionem, oneratæque prædictorum Præfectorum conscientia, si adamussim juxta præscriptum concessa facultate usi non fuissent.

Sed jam ad experientiam deveniamus. Quindecim ab hinc annis per totam fere Europam morbus invaluit, qui pectoris inflammationem insebat, ita tamen, ut ex una civitate in aliam, & ex una provincia in aliam hæc funesta lues promanaret: id contigit annis 1730. 1733. 1740. Licet autem morbus ejusmodi, qui universos hominum ordines, atque ætates corripiebat, lentam solum pectoris inflammationem excitaret, tamen senibus matura jam ætate debilitatis extremam afferebat perniciem, nam ex ipso febres acutissimæ, ac mortales sequiebantur. Idem morbus in periculum trahebat juveniores etiam, qui paululum infirmo pectore laborarent; Postremo multorum pectora adeo labefacta, ut deinde de gravissima mala provenerint.

Alios quoque morbos hujus generis pectoris inflammationem magno cum periculo afferentes, ægros in discrimen vite eduxisse, Medici scriptores luculentis testantur. Itaque si medicinæ professores acciti, monitæque graviter, ut nihil à veritate alienum respondeant, unanimi consensu fateantur (uti Nobis ipsis accidit, cum adhuc Bononiæ versaremur) morbum esse talis naturæ, quale superius commemoravimus, ita ut nulla ætas libera, & incolitas esse queat; & affirmari illis ipsis, qui inter cives salvi, & integri numerantur, eandem perniciem imminere; Id præterea conferre plurimum ad hujusmodi litem depellendam, aut evitandam, si tum ægrotantes, tum sani, à piscibus, & oleo, & quandoque pariter à lacte, & ovis abstantent; Si, inquam, res ita esse habeat, tum procul dubio causa sufficiens iudicanda est; quæ experientia innuitur, & quæ semper probata, & imposterum probanda videtur, ut nempe populus, seu civitas integra à carnibus abstinendi præcepto non teneatur.

Neque ulla difficultas removere vos debet à consulendis medicis qui præstantiores habeantur. Cavendum pariter, ut quidquid revera senserint, scriptotestati non prætermittant, quæ conditio si desit, imposterum nullamquam facultas civitati, nec districtus carniibus, aut lactificiniis vescendi tempore quadragesimæ tribuetur. Quippe id necessarium omnino videtur. Accedit etiam, quod medici facilitate quadam incredibili peculiare quidem cives à quadragesimæ præcepto liberos & immunes discernere soleant (qua dere gravissime monendi à Vobis sunt, ne suas animas indulgendo nimis aggravent); cum vero pro universis civibus idem statuendum proponitur, tum se difficiles, anxios, ac sollicitos præstare nos ipsi expertissimus. Postremo si velint percurrere, quæ in Italia, & extra ipsam præclarissimi Auctores Medici typis vulgaverunt, facile deprehendent, abstinentiam ciborum, quæ parsimoniam ab illis magno opere commendari, discrimen inter morbos constituit, & certissimis ostendit, in curandis quibusdam morbis nequaquam requiri, ut jusculum, & carnes loco piscium, olei, & herbarum substituantur; in aliis vero juvare plurimum, si sublevis carniibus, cum indicitur Jejunium, oleo, vel lacte ægrotantes utantur. Demum advertent quam diligenter, accuratèque scribant de pectoris incommodis, cum in omnibus generatim excitantur, ne corripiantur eodem modo, qui adhuc incolitas à communi lue supersunt.

Hæc vobis indicanda putavimus. Reliquum est, ut vos hortemur, ne tam faciles suscipiatis negotium petendæ facultatis utendi carniibus, & lactificiniis tempore quadragesimæ pro universa civitate; vel diocesi. Quippe hæc arripenda tandem est consuetudo, ob quam jam per tot annos in quibusdam locis hæc facultates tribui concesserunt. Illud etiam experientia à vobis compertum

erit, delicatis quoque, ac molliibus abstinentiam quadragesimæ nullam inferre perniciem, neque plures ob hanc causam inter ægrotos, vel mortuos recenseri. Hanc rationem, & institutum Nos ipsi secuti sumus Romæ, & Bononiæ (cujus Sedem adhuc retinemus) cum nuper quadragesimæ tempore ageretur. Si vos id quoque præstabit, neque facile à Nobis pro universa abstinentiam postulabit, vel (si necessarium id arbitremini) non aliter quam servatis præmissis conditionibus dispensationis instantia ad Nos deferetur, non solum in Africa provenient, quos jam indicavimus; sed etiam repulsa pudorem evitabit, Nosque pariter ea molestia vindicabit, quam ferimus, dum votis vestris minime obsecundamus. Postremo vos omnes peramanter amplectimur, & apostolicam benedictionem Vobis, populisque Vestris impertimur. Datum ex Arce Castri Gandulphi die 10. Junii 1745. Pontificatus Nostri anno quinto.

Qui semel fregit Jejunium, & eadem die sæpius comedit, si fregit Jejunium esu carniū, peccat toties mortaliter, quoties iterum comedit carnes. Communis; Si vero frangit sola replicata refectioe cum cibis die Jejunii permixta; variant Doctores: Castropal. tom. 25. part. 2. §. 2. num. 8. Fagundes præcept. 4. lib. 1. c. 4. n. 8. & alii ab ipso citati, Diana part. 1. t. 9. resol. 44. cum quatuordecim aliis ibi citatis, Mastrius disp. 14. theolog. moral. num. 9. Reiffenstuel theolog. moral. tract. 10. de præcept. eccles. dist. 2. quest. 2. num. 20. Felix Potestas loc. citat. n. 2845. & alii dicunt, non peccare mortaliter, nisi per secundam comestionem, non vero per tertiam, vel alias subsequentes. Et ratio est, quia præceptum Jejunii non obligat ad impossibile, posita autem secunda comestio, impossibile est, ut quis unica refectioe contentus sit, adeoque peccat tantum in secunda comestione, & non in aliis, quia statim ea illa posita est, violatum est præceptum Jejunii, & amplius non obligat. Medina autem, Mai-Montes, Cov. Molan. Silvester, Loth. & alii multi apud La Croix loc. citat. n. 1265. valde probabiliter tenent, peccare mortaliter, quoties iterum sumit plenam refectioem, quia per negationem altarum refectioem adhuc obtineri potest notabilis mortificatio carnis, quæ est falsis legis. Vidal. vero, Diana res. 53. Illung. tom. 4. decis. 1. n. 45. dicunt, in aliis comestionibus post secundam, ne quidem venialiter peccare. At ipse La Croix l. c. recte dicit, tendendum esse cum communitatis sententia, peccare saltem venialiter, quia est contra finem legis, qui est mortificatio carnis, & non esse plusquam veniale, docet cum aliis Lessius lib. 4. cap. 2. n. 17.

R. P. Paulus Gabriel Antoine tractat. de virt. moralibus, Append. quest. V. proponit; An toties quis peccet mortaliter, quoties die Jejunii sumit refectioem iteratam? Et respondet, Non pauci affirmant. Quia juxta omnes, toties quis peccat, quoties carnes comedit, quia præceptum abstinendi à carnibus est negativum. At præceptum abstinendi à pluribus refectioibus est etiam negativum; nam non præcipit unam refectioem, sed præcisè plures refectioes prohibet. Ergo sicut peccatur per quasvis comestiones carniū, ita & per quamlibet, & singulas refectioes ultra unam, præcepta enim negativa violantur non solum per primum, & secundum actum, sed etiam per quoscumque alios sequentes. Videtur & rationes alias, ab Auctore expositas, quæ potiores videntur rationibus à nostro Auctore expositis.

Jejunium quamvis frangatur per iteratas veras refectioes, non frangitur tamen per alias assumptiones, non per modum cibi, vel refectiois, sed per modum medicinæ, vel potus. Sic non solum non frangit Jejunium sumere ipsas formales medicinas, sed neque universaliter electuaria, seu confecta, cum principaliter non sumantur ut cibi, sed ut medicinæ; Communis cum S. Thom. 2. 2. quest. 137. art. 6. ad 3. Item non frangit Jejunium, qui ad confortandum stomachum mane sumit oñam, frustum panis, saccarum, & hujusmodi, vel extra tempus refectiois bibit quacumque de causa. & addit bolum panis, amygdala, & hujusmodi, quia similia habent potius rationem medicinæ, ne videlicet noceat haustus, quamvis per accidens nutriant, ut observant communiter DD. apud Layman lib. 4.

traçt. 8. c. 1. n. 7. Sic pariter non frangit Jejunium bibere extra tempus refectiois quæcumque purum potum etiam vinum, cerevisiam, mulsum, etiamsi fiat non præcisè ad sedandam sitim, sed etiam aliquatiter ad sedandam famem, & nutriendum; Sic Sanctus Thom. 2. 2. q. 147. art. 6. ad 2. & alii passim cum Nav. c. 21. n. 13. Layman lib. 4. tract. 8. c. 1. n. 7. Castropal. part. 2. §. 2. n. 4. Tambur. in Decalog. lib. 4. §. 2. n. 4. Diana part. 1. tract. 9. resol. 23. contra S. Antonin. Alens. Riccardi, Rosell. Silvester. & alios; & ratio à S. Thoma, & aliis allata est, quia ecclesia diebus Jejunii prohibet solum ea, quæ per se ordinantur ad nutriendum corpus; potus autem quicumque purus per se non ordinatur ad nutriendum corpus, sed potius ad sitim extinguendam, naturam refrigerandam, & cibi concoctionem adjuvandam; & quamvis vinum, cerevisia, mulsum per accidens aliquantulum nutriant, eorum tamen ecclesia rationem non habuit, adeoque &c.

Ad num. 35. verb. quacumque de causa. Non est probata à Theologis gravioribus Ferraria assertio, qua putat Jejunii legem non violare, qui extra tempus refectiois bibit quacumque de causa; Nam si in fraudem legis jejunii bibat, & quidem frequenter, hoc est, si bibat non per modum potus, sed ad extinguendam sitim, & faciliorem digestionem procurandam, sed ad sensum famis eludendum, & ad nutritionem habendam, quæ ventris famem propulset, tunc contra legem Jejunii agere, videtur. Legem enim violat, qui in fraudem legis aliquid facit, ut ait S. Thom. in IV. dist. XV. q. 1. art. 1. ad dub. 1. n. 17. de eo iniqui, qui potas extra horam unica comestiois, qui non dicitur bis manducare, & propter hoc nec statum Ecclesia frangit, nisi fraudem faciat: quia legem violat, qui in fraudem legit aliquid facit. Itaque non adeo certum est, legem Jejunii non infringere, qui extra comestionem quacumque de causa bibat, ut Auctor pronunciat.

Jejunium non frangit, & licita est sumptio caffè, theæ, salviatæ, & chocolati in die Jejunii, quando illa sumuntur medicinaliter ad curandam infirmitatem realem; Communis. Si tamen sumantur non medicinaliter, variant Doctores, & maxime de chocolato, quod jejunium non frangere absque ulla limitatione tenent Hurtadus, Lopez, & plures alii apud Tamb. tom. 1. pag. 135. Leandrum de præcept. eccles. tract. 5. disp. 5. Dianam part. 1. tract. 5. resol. 54. Item tenet Henricus verb. Jejunium referens Urbanum VIII. oblati ingredientibus, & in ejus conspectu confecto chocolato, de illo gustato dixisse esse, & manere potum. Idem etiam, ut testantur plures Doctores apud Illung. tom. 4. decis. 1. num. 30. responderunt Gregorius XIII. Sanctus Pius V. & Paulus V. Ipsis accedit consuetudo, & timoratorum, doctorumque Viros Religiosorum usus sine ullo scrupulo. Et contra plurimi alii cum Castropal. loc. citat. part. 2. §. 2. Bondevio part. 2. quest. 17. in venibilibus medico theologia, Tamburin. loc. citat. consideratis ingredientibus, & vi nutritiva illius, docent frangere Jejunium; Probabilior tamen, & securior sententia cum Leandro de præceptis eccles. tract. 5. disp. 5. Diana part. 1. tract. 6. resolution. 53. Felice Potestat. loc. citat. num. 2876. Remigio Escobar, & aliis, apud ipsos docet, chocolatum non frangere Jejunium, si id, quod est cibi, misceatur aqua in minori quantitate; ita ut superabundet aqua, quia tunc cum bibatur tenne, habet rationem potus, & potus ab ecclesia non prohibetur. Si vero id, quod est cibi, misceatur aqua in majori quantitate, ita ut superabundet cibus, tunc dicit frangere Jejunium, quia cum tunc coquat instar dense pulvis, habet rationem cibi, & sic videtur ab ecclesia prohibita ejus sumptio, eo vel maxime, quod in eo casu valde opponitur huius præcepti Jejunii, qui est maceratio carnis, cum chocolatum similiter sumptum sit præ ceteris cibis nutritivum, & elevativum spirituum vitalium, ut experientia patet.

Collatio, seu refectiuacula vespertina etiam ad nutritionem sumpta est licita; Communis. Pro qualitate tamen ciborum in hac vespertina refectiuacula sumendorum varia varii sentiunt Doctores. Aliqui enim volunt, talem refectiuaculam sumendam esse in modico

38



pane, & fructibus, seu herbis, & non in cibis proprie dictis, ut sunt omnes pisces cocti, ova, lacticia, legumina cocta, alique cibi substantiales. Alii concedunt modicum casei, butyri, lactis, mortificatam amygdalinam, & hujusmodi. Alii permittunt panem coctum cum amygdalina, & hujusmodi. Alii permittunt panem coctum cum amygdalis, seu coctum in aqua, aut alio liquore una simul cum sale. Alii dicunt licere comedere parvos pisces. Alii concedunt omnis generis cibos, quorum comestio licita est in prandio die Jejunii, modo servetur quantitas. Alii permittunt jusecula cocta ex cibis illis, qui liciti sunt in collatione, v. g. ex vino, vel cerevisia, pane, herbis, fructibus, oleo, vel butyro condita. Alii docent, in collatione non esse attendendam qualitatem ciborum, sed quantitatem tantum, adeo ut ex omnibus cibis, qui die Jejunii licite possunt sumi in prandio, etiam pisces, leguminibus, placentis, ovis, lacticiis &c. in modica quantitate liceat sumi etiam in vespertina refectiuncula, seu collatione; Sic Cajetan. *verb. Jejunium cap. 1. in fine Marchant. Tribunal. part. 2. tract. 12. tit. 13. quest. 3. dub. 1.* & alii citati; Bonacini. *de legibus disp. ultim. punct. 3. quart. 1.* quam sententiam omnino probabilem, & tutam esse dicit Sporer *loco citato num. 32.* Unde in tanta varietate opinionum, salvo meliori iudicio, dicerem equo servandam esse consuetudinem, & praxim, quam in qualibet regione, & provincia sequuntur Timorati; Et ratio est, quia cum collatio, seu refectiuncula vespertina non sit ab ecclesia universali instituta, sed tantum a particularibus paulatim introducta, & tandem a S. Sede tolerata, eo modo sumi debet, quo fuit in singulis provinciis introducta, & a Timoratis recepta; Vide Sporer *loco citato a n. 39. ad 32. La Croix lib. 3. part. 2. a n. 1297. ad 1303.* ubi multa ad rem.

41 Sic etiam pro quantitate ciborum in hac vespertina refectiuncula, seu collatione sumendum, varii varia sentiunt. Aliqui concedunt solum tres uncias. Alii quatuor. Alii sex. Alii octo. Alii rectius docent, non posse unam generalem pro omnibus quantitatem secundum pondus, & mensuram determinari, sed variam esse posse pro varietate personarum, & ætatis, complexionis, occupationis, item regionis calidioris, vel frigidioris; & hoc quidem verissimum est; sine dubio enim plus indiget, & sumere potest homo provecæ ætatis, quam alius ætatis consistentis, homo pluribus occupationibus, vel laboribus exercitatus, aut continuis studiis deditus, aliusque negotiis fatigantibus caput, quam omnimode vacans; in primis enim spiritus magis deficiunt; item plus indiget, & sumere potest degens in regionibus frigidioribus, quam in calidioribus. Ut autem aliquis recta regula assignetur pro omnibus, varii dicunt probabiliter modicam, & licitam sine scrupulo quantitatem pro collatione, seu refectiuncula vespertina censei quartam, vel quintam partem cœnæ ordinariæ, quam quis aliis spectata sua persona, ætate, conditione, occupatione, fatigatione, regione ordinariæ ad sufficientiam naturæ sumere solet; Reginald. *tom. 2. lib. 4. num. 185.* Layman *loc. cit. num. 9.* Busembau *lib. 3. part. 2. cap. 3. dub. 1.* La Croix *ibid. num. 1299.* Sporer *loc. cit. num. 26.* Filiuc. *tract. 2. part. 2. quest. 7. n. 32.* dicens ita decisum fuisse in celebri Academia Theologorum, qui omnes in quartam partem consenserunt. Idem probat Escobar. *Et. 13. cap. 3. num. 61.* & alii. Et ratio est, quia etiam in aliis præceptis, ut auditione missæ, recitatione horarum, & hujusmodi, semper quarta pars censetur quasi modica, & non notabilis (nisi tota esset valde notabile magnum) unde cum homo pro cœnâ ordinariâ non ita magnam quantitatem comedere soleat, merito quarta, vel quinta pars cœnæ ordinariæ censei potest quantitas modica, quam quis pro collatione, seu refectiuncula vespertina licite sumere potest. Verum salva omni debita reverentia, ultra quod allata ratio etiam in quartam partem prandii derorqueri posset, licet quarta pars cœnæ respectu cœnæ, ut prandii respectu prandii, dici possit modica; non tamen respectu collatione, & Jejunii, quemadmodum perpendiculari fiet palam: unde arbitror ipse dicendum quatuor,

vel quinque uncias pro refectiuncula esse quantitatem servandam, nisi circumstantiæ superius recensitæ, vel consimiles aliter expostulent legitime; atque reminiscantur laxi, Jejunium ad carnis passionumque mortificationem, peccatorum expiationem, & temporis acceptabilis salutem consequendam institutum esse, & nec tantillum prioribus ecclesiæ temporibus fuisse in usu pro refectiuncula. Accedit nunc quoad supradicta attendendum esse apostolicæ decisioni Benedicti XIV. qui ad 2. dubium: *An quibus concessum est vesci carnis, possint in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci, que Jejunianibus permittitur?* Respondit non licere, sed opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines Jejunantes recta metucolora conscientiæ, ut patet in sua encyclica epistola data sub die 8. Julii 1744. & ad litteram adducta sub num. 35.

Tempus ordinariæ sumende collationis, seu refectiuncule vespertine sine dubio est vespertinum, unde qui absque omni causa pro mero suo libitu illud commutat, sumendo mane collationem, & vespere prandium, seu cœnam, peccat saltem venialiter, quia pervertit receptam consuetudinem, & universalem uniformitatem ecclesiæ; Communis cum Layman *lib. 4. tract. 8. c. 11. num. 10.* Si vero aliqua justa causa interveniat, v. g. copia negotiorum non permittentium sumptionem prandii in meridie, vel periculum infirmitatis, occasio itineris, & hujusmodi, nullimode peccat; Rursus Communis cum Marchant. *tribunal. part. 2. tract. 12. tit. 3. q. 3. dub. 3.* ubi sic præcise dicit; Ratio mihi clara est, quia si Mater Ecclesiam cum comedente in meridie dispensat, ut collationem vespere sumat ad confortationem, ne deficiat, in hoc condescendens humane infirmitati, potior sane dispensationis ratio est in eo, qui, ut in die iter agat, aliudve negotium commode exerceat, ad vespere usque suam cœnam transfert, & mane collationem sumit; & in eo est majus periculum deficientiæ. Ubi igitur eadem ratio militat, idem omnino secuta conscientia concludi existimo. Et hæc praxis communis usque timoratum in dies confirmatur. Haëtens ille. Immo Reginald. *lib. 4. num. 186.* Mastrius in *theolog. moral. disp. 12. num. 8.* J. Sanc. *disp. 53. n. 2.* Tambur. *loc. cit. §. 3. n. 10.* Sanchez *dub. 27. Azorius, & quidam alii* probabile esse censent, talem nec venialiter peccare, quamvis sine speciali causa differat prandium ad noctem, dummodo sumat refectiunculam hora consueta prandii, & non prius, nisi adit alia justa causa. Et ratio istorum est, quia, dicunt ipsi, talis modus Jejunandi neque ex toto, neque ex parte solvit substantiam Jejunii. Quinimo talis modus Jejunandi magis conducit ad finem Jejunii, qui est mortificatio carnis, unde & olim in Ecclesia primitiva refectio sumebatur ad vespere in quadragesima, & ad horam nonam, quæ est tertia post meridiem in aliis Jejunii, ut patet ex adductis sacris canonibus, & Patribus sub num. 15.

Tempus ordinariæ comestionis, seu prandii in die Jejunii scilicet horam sextam proximam meridie notabiliter, *verbi gratia*, per unam, vel alteram horam anticipare absque justa causa, volunt varii graves Auctores esse peccatum mortale, quia notabiliter anticipatio refectiois ante horam determinatam notabiliter violatur Jejunium; *arg. cap. Solent. 49. dist. 17. de consecr.* ubi olim præventus refectio horam vespertinam in quadragesima non censetur jejunare, ibi: *Qua nuditatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinam celebrant officium.* Sic Navar. in *manuali. c. 21. num. 27.* Marchant. in *tribunal. part. 2. tract. 12. tit. 3. quest. 2.* Covarrub. Paludana. Cajetan. Sanctius & alii. Communior tamen, & probabilior sententia tenet, non esse peccatum mortale, sed veniale tantum, etiam notabiliter, & sine justa causa prævenire dictam horam refectiois, seu prandii. Et ratio est, quia sic non violatur substantia præcepti Jejunii, sed solum circumstantia quedam accidentalis de secundaria requisita ad Jejunium ecclesiasticum; sic Innocent. Angel. Tolet. Medina, & alii cum Lessio *lib. 4. de justit. & jur. c. 2. num. 13.* Layman *loco citato num. 10.* & sequent. Sporer

46 *loco citato num. 23.* Filiuc. *loco citato num. 70. 71. 72.* & plurimis citatis Diana *part. 1. tract. 9. resolut. 33.* Reiffenstuel *theolog. moral. cit. num. 33.* Busembau, & La Croix *loco citato num. 1288.* & alii passim. Si autem aliqua justa causa subsit, ut si iter sit ineundum, si hospites dimittendi, si concio habenda, lectio frequenter, aliudve negotium in meridie, & hujusmodi, nullum erit peccatum ne quidem veniale; Communis. Sicuti nullum est peccatum in privilegiatis, ut in Religiosis, qui per privilegium, etiam sine causa, possunt una hora anticipare; La Croix *lib. 3. part. 1. n. 1277.* Tamburin. *cap. 4. §. 4. num. 3.* Stephan. *tom. 1. decis. 5. num. 121.* & alii passim.

48 Prandium, seu refectioem interrompere, vel dividere in die Jejunii sine justa causa non licet; Communis. Justa tamen interveniente causa, ut *paupertas, officium, negotium, licet; Communis.* Si enim interveniat *paupertas*, qualis est eorum, qui ostiatim mendicant, & omnium aliorum, qui non habent, quo unica refectioe sufficienter reficiantur, utique poterunt isti refectioem suam interrompere cum intentione continuandi, ubi novam elemosinam invenerint, & novum cibum habuerint. Sic si interveniat *officium*, quale est eorum, qui tempore prandii ministrant, vel legunt ad mensam, isti possunt sumere cibum etiam in magna quantitate, per horam circiter ante prandium sumum, & postea hoc complemento expleto suo servitio, & officio. Item si interveniat *negotium*, quale est eorum mercatorum, qui refectioem, seu cœnam nondum finita obcurrentes emptores, alia apud se non empturos, discedere coguntur è mensa nondum plene, & sufficienter saturati, isti enim, confecto negotio, reverti possunt ad eam refectioem finendam, præsertim intra modicum tempus, v. g. unius horæ; censetur enim moraliter una refectio propter intentionem; Communis.

50 Sic non peccat, qui inter prandendum garrit, nugatur, nova nuntia legit, & hujusmodi, si tempus refectiois non excedit duas horas, qui ordinariè tantum temporis conceditur refectiois sumende, nec censentur tunc partes moraliter dividi. Item si quis finierit prandium, & plicarit mappulam, cum proposito nihil amplius comedendi, seu surrexit è mensa, etiam gratis actis, potest intra quadratent circiter, mutata voluntate, iterum assidere, & comedere, quia moraliter censetur una comestio. Item, qui mensam relinquit in uno loco intendens absolvere in alio, ubi expectatur, non peccat saltem graviter, dummodo prandium non excedat duas horas, nec intervallum quadratent circiter, quia diversitas locorum non videtur hic ad rem facere, præsertim ubi id requirit honestas. Prandium protrahi potest licite ad duas horas, non autem ultra; Tamburin. *lib. 4. cap. 4. §. 2. num. 15.* La Croix *loc. cit. num. 1283.* Fagundez, & alii passim.

54 Qui mane culpabiliter sumpsit jentaculum æquivalens refectiois, tenetur illo die abstinere à refectioe. Et si jentaculum sumptum modicum fuerit, tenetur abstinere à collatione; Sanch. in *consil. lib. 5. cap. 1. dub. 28.* La Croix *loco cit. num. 1286.* Castropalao *tom. 25. p. 2. §. 3. num. 5.* & alii passim. Et ratio est, quia, etsi Jejunium factum sit ipsi impossibile quoad circumstantiam temporis, potest tamen servari quoad alia, & ideo, si iterum comedat, quasi nihil sumpsisset, incurrit novum peccatum. Qui inculpabiliter per inadvertentiam sumpsit mane jentaculum sufficiens ad prandium, non potest amplius illo die prandere, sed solum vespere sumere collationem, quia habuit unam plenam refectioem, & æque nutritus est, sive sciens, sive nesciens jentaverit; Layman *lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 14.* La Croix *loc. cit. num. 1285.* Less. *lib. 4. cap. 2. dub. 3. num. 18.* & 19. Diana, Castropal. & alii plures contra Paludana. Vivald. Fagund. & alios volentes, posse illum adhuc prandere, quia, cum sit factum ex ignorantia Jejunii non computatur pro prandio. Qui iter facturus mane prandet, & postea rebus mutatis iter non agit, non potest amplius illo die prandere, sed solum vespere sumere collationem; Sic Doctores citati *num. anteced.* propter eandem rationem, contra J. Sanchez *disp. 53. num. 2.* & alios

volentes posse illum iterum prandere, ac si nihil sumpsisset. Qui post prandium sumpsit aliquid cibi, tanto minus debet postea sumere in refectiuncula vespertina. Et si quasi ad tempus ipsius refectiuncule vespertinæ 56 sumpsit cibum æquivalentem ad collationem, debet illo die omnino ab ipsa abstinere: quia prior comestio censetur fuisse collatio, Communis.

Qui frangit Jejunium multiplici præcepto ex eodem 57 motivo imperatum, unicum tantum specie, & numero peccatum committit. Unde quia ecclesia ex eodem motivo formali temperantiæ præcipit jejunium in quadragesima, & in quatuor temporibus, & in vigiliis, si Vigilia v. g. S. Mathiæ occurrat in quadragesima, & quatuor temporibus; quamvis tria sint ecclesiastica præcepta Jejunii pro eadem die, ejus tamen transgressio non erit nisi unicum specie, & numero mortale peccatum; gravius tamen, adeoque ea circumstantia non erit necessario in Confessione exprimentanda; Sic Communis Doctorum. Et ratio est, quia licet tali die sit obligatio jejunandi ex tribus præceptis; illa tamen tria præcepta sunt tantum materialiter diversa, sed formaliter unum tantum, cum omnia respiciant eandem virtutem Temperantiæ, & obligent ad Jejunium ex eodem motivo virtutis Temperantiæ. Peccata autem non multiplicantur numero ex multiplicitate præceptorum, quando respiciunt eandem virtutem, sed solum, quando respiciunt diversam virtutem, & diversum finem; Et sic in simili, qui non audit missam in festo de præcepto, occurrente in Dominica, non committit nisi unum mortale peccatum. Et sic Religiosus professus, ac simul in sacris constitutus non committit duplex votum violatum, nempe votum castitatis religiosæ, & castitatis sacro ordini annexum, cum talia vota non sint distinctæ speciei, & sic de aliis consimilibus, ut patet ex dictis in titulo de peccatis.

Idem propter eandem rationem probabilis est dicendum 58 de Franciscanis non jejunantibus feria sexta Quatuor Temporum cadentem in vigilia, & quadragesima; quia Jejunium ferix sextæ in regula eodem plane fine, & motivo Temperantiæ præcipitur Franciscanis, quo ab ecclesia præcipitur omnibus fidelibus, adeoque licet Franciscani non Jejunantes tali die quatuor transgrediantur præcepta, non committunt tamen nisi unicum specie, & numero peccatum, quamvis gravius; Sic contra Vasquez, Navarum, Gonetum, & quosdam alios tenent expresse Marchant. *tribunal. p. 2. tract. 3. tit. 3. q. 4.* Sporer. *tom. 1. append. ad tertium præceptum decal. sect. 4. num. 44.* Henno *tom. 1. tract. 1. disp. 1. q. 11. conclus. 1.* cum Herincx ibi citato, & probabilius Felix Potestas *tom. 1. part. 4. cap. 6. num. 3744.* & alii. Nec valet cum adversariis dicere, quod Franciscani voveant servare regulam, & consequenter Jejunium ferix sextæ in eadem regula contentum, adeoque peccent etiam in tali casu contra Religionem, eo quod violent votum. Non valet, inquam, quia licet Franciscani voveant servare regulam dicendo in actu professionis: *Voveo, & promitto... servare regulam Fratrum Minorum &c.* non tamen voveant omnia contenta in regula servare tamquam vota, sed eo modo, quo in regula proponuntur. Ad vero non omnia contenta in regula proponuntur servanda, ut vota, sed aliqua quidem ut vota, nempe tria essentialia: *Vovendo in obedientia, sine proprio, & in castitate*, alia ut nuda præcepta, inter quæ est etiam præceptum Jejunii ferix sextæ, & utriusque quadragesimæ, & alia ut consilia tantum; & ratio est, quia si vovendo servare regulam voverent servare tamquam vota omnia contenta in regula, tenerentur ex voto servare nedum præcepta, sed etiam consilia contenta in regula, quod nullimode est dicendum, cum ne unus quidem Franciscanus hanc obligationem agnoscat; Tum quia, si Franciscani ex quo voveant servare regulam, sub duplici peccato tenerentur jejunare feria 6. etiam sub duplici peccato, nempe ratione præcepti, & ratione voti, tenerentur ad omnia omnino regulæ præcepta, sicque melius esset, ut advertit Herincx allegatus, & sequitur ab Henno *l. c.* ut omnia contenta in regula essent mere vota, & non præcepta, quia tunc Francisca-



ni aliquid transgrediendo non committerent nisi unicum peccatum. Tum quia Summi Pontifices, qui Franciscanorum regulam accurate examinarunt, declararunt, in ipsa contineri solum 25. præcepta obligantia, & numquam de hac duplici illius obligatione mentionem fecerunt. Unde non videtur imponenda, cum sit valde grave onus sine sufficienti fundamento, ut recte advertit Henno *loc. cit.* Notari tamen debet, quod dum dicitur, cadente feria sexta Quatuor Temporum in vigilia, & quadragesimæ, Franciscani non jejunantes tali die, quatuor transgrediantur præcepta, id intelligitur de Fratribus Minoribus, qui annum vigesimum primum exceperunt, non autem de iis, qui hujusmodi annum nondum expleverunt; quia licet Fratres Minores à regula obligentur ad Jejunia feriarum sextæ, & quadragesimæ, (ut etiam à festo omnium SS. usque ad nativitatem Domini) tamen non obligantur vi regulæ ad Jejunium vigiliarum, & Quatuor Temporum: eo quia regula de iis non loquitur; sicut patet cap. 3. ejusdem regulæ; Unde minores etate 21. ann. contra unum dumtaxat regulæ præceptum, scilicet feriarum sextæ, vel quadragesimæ, ut à regula imposita in dicto casu facerent non jejunando. Diximus feriarum sextæ, vel quadragesimæ, eo quia tali tempore feria sexta, & quadragesima prout sunt à regula, pro uno eodemque præcepto confunduntur, sicut considerantur est obvium; & ideo dictum est supra, quod quatuor transgrediantur præcepta; aliàs debuisset dici quinque transgredi præcepta.

59 Aliter autem esset dicendum de eo, qui violavit statuto die Jejunium ab ecclesia præceptum, à Superiore ex obedientia sibi mandatum, à Confessario sibi pro poenitentia sacramentali impositum, & ad quod se ex speciali voto obligavit: Tunc enim incurrerent quatuor quasi leges formaliter diversæ respicientes diversos fines, & virtutes, adeoque per unam physicè dicti Jejunii violationem contraheret quatuor specie diversas malitias in Confessione explicandas, dicendo, Violavi Jejunium, ad quod graviter obligabar ratione præcepti Ecclesie ex motivo Temperantiæ, ratione mandati Superioris ex motivo obedientiæ, ratione impositionis Confessarii ex motivo poenitentiae, & ratione specialis voti ex motivo Religionis; Sic Sporer *loc. cit. num. 44. La Croix lib. 5. num. 135. & alii.*

60 Qui violat Jejunium uno die per comestionem carni-um, & altero per comestionem lactinciniorum, aut ovorum, peccat duplici specie distincto peccato, adeoque in Confessione utraque prout est violatio est distincte explicanda, quia violatio jejunii per comestionem carni-um distinguitur specie à violatione per comestionem lactinciniorum aut ovorum. Item qui frangit Jejunium uno die per comestionem carni-um, & altero per multiplicem comestionem in piscibus, peccat duplici specie peccato, adeoque non sufficit dicere in Confessione, *duobus diebus violavi Jejunium*, sed debet dicere, quod uno die violavi per comestionem carni-um, & altero per multiplicem comestionem in piscibus: Violatio enim per multiplicem comestionem; *Communis.*

61 Qui unico voluntatis actu deliberate statuit non jejunare per totam quadragesimam, seu singulis diebus quadragesimæ, non committit tot numero peccata, quot sunt dies quadragesimæ, sed unum tantum numero, gravius tamen; & sufficit, quod in Confessione dicat: *Italvi deliberatam voluntatem frangendi Jejunium per totam quadragesimam.* Et ratio est, quia hujusmodi distinctio numerica obsectorum, nempe omnium dierum quadragesimæ est tantum materialis, cum actus hic, aut intentio frangendi Jejunium singulis diebus quadragesimæ respiciat omnino illa Jejunia per modum unius solius objecti formalis, totalis, & adæquati. Quamvis ceteroquin singula illa objecta possent dare illi actui, seu illi intentioni deliberatæ completam malitiam; tamen ut conjungantur, atque ab actu seu intentione respiciuntur per modum unius, conferunt actui, seu intentioni simul unam solam malitiam, graviorem tamen. Si autem postea dictam deliberatam voluntatem executioni mandaret, tot committeret peccata numero distincta

fractionis Jejunii, quot violaret dies Jejunales. Et ratio est, quia obligatio jejunii fertur supra totam quadragesimam, & singulos dies divisim, adeo ut jejunium cupuslibet diei sit in distincto per se præcepto, adeoque quot jejunialibus diebus non jejunaret, tot committeret numero distincta peccata mortalia, vel multiplicatam omissionem externam præcepti jejunii; *Communis.*

Qui statuta die non jejunavit, sive inculpabiliter, 62 sive culpabiliter, non tenetur postea jejunare alio die sequenti. Et ratio est quia cum jejunium sit statuta diei alligatum, semel ac violatum est tali die, amplius servari non potest, nec consequenter debet: Censetur enim statuta talis dies ad finiendam obligationem, adeoque fracto tali die jejunio, cessat jejunandi obligatio. Aliter autem esset dicendum, si dies esset statuta ad implendum votum, seu poenitentiam Sacramentalem, & ad non differendam obligationem, ut si quis vovisset jejunare feria sexta, & Sabbato unius hebdomadæ, seu id ei fuisset pro poenitentia Sacramentali impositum; tunc enim cum dies sit solum statuta ad non differendam obligationem voti, seu Poenitentiae Sacramentalis, si jejunium statutis diebus violaret, aliis similibus diebus alterius hebdomadæ erit servandum; *Communis.* Unde sequitur ex dictis, quod si quis vovisset ex devotione jejunium uno integro determinato anno v. g. toto anno Jubilæi, & præmitteret aliqua poenitentia sive culpabiliter, sive inculpabiliter, non teneretur ea altero anno supplere propter rationem nuper assignatam; at si vovisset jejunium pro uno integro anno, non intelligendo determinate annum A, vel B, sed intelligendo tantum tot jejunia, quot sunt dies in anno, præmittendum aliqua jejunia sive culpabiliter, sive inculpabiliter, teneretur ea supplere propter rationem oppositam item assignatam: verumtamen non teneretur supplere dies Dominicis ob dicta num. 20. & 22. nisi vovens ad id expresse intenderet se obligare. Item si quis vovisset jejunium v. g. quolibet die Sabati ob devotionem B. M. V. quoties pro tali die jejunii impedimentum occurrat, non tenetur prævenire, seu anticipare jejunare; siquidem vovens ad illam determinatam diem se obligavit, jejuniumque alligavit; At si vovisset jejunium pro aliquo tempore determinato solum ex intentione, ne ultra illud tempus differatur jejunium, poterit anticipare jejunio satisfacere: eo quia intentio fuit ne ultra differatur, non vero ne citius onus adimpleretur; immo tenetur prævenire, seu anticipare satisfacere, si quandoque prævidet superveniens impedimentum, eo quia votum fuit ut diximus ad not. & ultra differendam, non vero ad finiendam jejunii obligationem; ac id sive culpabiliter sive inculpabiliter non præstando, adhuc teneretur supplere postea ob eandem rationem, ut jam constat supra. Vide etiam num. 22.

Peccant mortaliter non solum ipsi, qui jejunium 63 frangunt sed etiam qui ad frangendum jejunium aliis proximè cooperantur, ut patres, & matres familias, domini, superiores, & hujusmodi die jejunii suis domesticis cenam, vel carnes sine legitima causa excusante ministrantes. Item caupones, seu tabernarii in locis catholicis carnes, vel cenam ministrantes iis, quos sciunt à jejunio non excusari, & quando sine suo gravi incommodo, & spe fructus recusare possent; *Communis.* Regula enim generalis est, quod non solum peccant, qui præceptum transgrediuntur, sed etiam qui causa sunt, ut illud absque legitima causa alii transgrediantur.

Jejunium ex voto, vel præcepto majoris est meriti 64 quam ex mera electione vel consilio, eo quia hoc habet meritum Religionis, & ex præcepto etiam meritum obedientiæ; & licet votum, atque præceptum necessitatem inducant non quidem coactionis, sed obligationis erga Deum: hac tamen plenam executionis libertatem relinquunt incolunt, ut est manifestum.

Alia ad rem, Vide verb. *Vigilia.* 65

ARTICULUS II.

Jejunium quod ea, quæ concernunt Personas obligatas, & causas excusantes, vel non.

SUMMARIUM.

- 1 Jejunium obligat omnes christianos, quibus est ætas competens.
- 2 Ad Jejunium obligatur etiam heretici.
- 3 Non obligatur tamen Infideles.
- 4 Præceptum Jejunii incipit obligare quoslibet fideles anno ætatis 21. completo.
- 5 Regulares licet nondum compleverint annum 21. ætatis sue, tenentur ad Jejunia sue regulæ.
- 6 Alii sentiant contrarium.
- 7 Ad Jejunia ecclesie, de quibus sua regula non loquitur, non tenentur Regulares, nisi post completum annum 21.
- 8 Causæ excusantes à Jejunio sunt principaliter quatuor, scilicet Ætas, Impotentia, Labor, & Pietas.
- 9 Ratione ætatis excusatur à jejunio quoad plures refectio-nes Omnes ante completum annum 21. dummodo ad illud non teneantur ex voto, vel professione regulari. Non excusantur autem quoad abstinentiã à carnibus, cum ad ipsam obligentur omnes post annum septimum.
- 10 Senes quoque ratione ætatis à jejunio excusantur.
- 11 Senes excusari à jejunio eo ipso, quod annum 56. attingerint, dixerunt aliqui; merito tamen ab omnibus rejcti.
- 12 Alii volunt quod absolute sint excusati à jejunio senes sexagenarii, quamvis sint robuste valetudinarii.
- 13 Alii è contra rectius volunt sexagenarios teneri jejunare, si per præsentem vires commode possint.
- 14 In dubio an sexagenarii sint robusti, & habiles ad jejunandum non tenentur jejunare.
- 15 Senes post annum 60. non tantum excusari à Jejunio ecclesiastico, sed etiam à jejuniiis debitis ex voto, vel professione, votum aliqui, sed rectius negant alii.
- 16 Sic etiam, si alicui per legitimam dispensationem commutaretur votum castitatis perpetuæ in jejunium etiam post annum 60.
- 17 Fœmine censentur ab aliquibus absolute excusari à jejunio in ætate quinquaginta annorum; sed rectius negant alii.
- 18 Ratione impotentie quinam à jejunio excusentur.
- 19 Et qui non excusentur.
- 20 Ratione laboris quinam à jejunio excusentur.
- 21 Et qui non excusentur, usque ad num. 24.
- 22 Ab obligatione jejunii excusatur etiam labor honestus, si qui non est vitæ sustentandæ necessarius, nisi fiat in fraudem legis, & nisi sit levior.
- 23 Labor illicitus non excusatur defatigatos à jejunio, nisi sit periculum alicujus morbi contrahendi.
- 24 Omnes iter sive pedibus, sive equo, sive curru, sive aliter confectum, & non susceptum in fraudem legis, nec in finem illicitum (si aliunde graviter fatigat itinerantem) excusatur à jejunio.
- 25 Quantum debeat esse iter ad hoc, ut censetur cavere gravem defatigationem, & sic excusare itinerantem à jejunio?
- 26 Qui in fraudem jejunii de loco, ubi viget præceptum jejunandi, se transfert ad locum, ubi non jejunatur, peccat graviter.
- 27 Adducitur ratio intrinseca.
- 28 Qui autem de loco, ubi jejunatur, non in fraudem jejunii, sed bona fide transit ad loca, seu per loca, ubi non jejunatur, non tenentur jejunare.
- 29 Sic qui non in fraudem jejunii, sed negotiorum causa de loco proprii domicilii, ubi nondum est incepta quadragesima, pergit ad locum, ubi per hebdomadam jam est incepta quadragesima, non tenentur jejunare nisi illic per octo alios dies Pasche ad complendam quadragesimam.

- 30 E contra vero, si talis in loco sui domicilii compleset quadragesimam, non tenetur postea alibi observare illos octo dies, & remissive quoad Peregrinos, & Aduenas.
  - 31 Ratione pietatis quinam excusentur, vel non à jejunio.
  - 32 In dubio in commodum sui grave, vel leve, ad tollendos scrupulos recurrendum est pro dispensatione ad Superiores, qui assignantur.
  - 33 Submittuntur Supplementa Auctoris ad num. 55.
- Ad Jejunium obligatur christiani, quibus est ætas 1 competens: *Communis.* & certè ex Divo Leone *serm. 11. de Quadragesima*, ubi sic expresse dicit: *Adest maximum, sacratissimumque jejunium, quod observantiam sui universis fidelibus sine exceptione denuntiat.* Hinc ad jejunium obligatur etiam heretici, cum sint Christiani, & Ecclesie subditi, & ideo cum hæresi abjurata, confessionem instituunt, debent omnes violationes jejuniorum aperire, Henno *tom. 1. tract. 1. de peccatis actualibus disp. 4. quest. 7. concl. 1. & alii passim.* Non tenentur 3 tamen ad jejunium Infideles omnes, qui nunquam actu Baptismi ecclesiam ingressi sunt. Et ratio est, quia, cum non sint Ecclesie subditi, ita nec Ecclesie præceptis ligari possunt; *Communis.* Præceptum Jejunii incipit 4 obligare quoslibet Fideles anno ætatis 21. completo nisi aliqua juxta causa excusetur; Sic *Communis* cum S. Thoma 2. 2. q. 147. art. 4. num. 2. Et ratio est, quia adolescentes ante completum 21. annum frequentiore, & abundantiore cibo indigent ratione augmentationis, seu ob crescentem ætatem, & caloribus abundantiam, unde ecclesia noluit eidem imponere obligationem jejunandi ante completum dictum 21. ætatis annum. Regulares vero, licet nondum expleverint annum 21. 5 ætatis sue, tenentur ad jejunia sue regulæ, quia per professionem suæ regulæ, vi voti emissi censentur renuntiasse privilegio ætatis; alia enim est obligatio religionis, & regulæ, & alia obligatio Ecclesie; hæc non incipit nisi post completum ætatis annum 21. & alia incipit statim post emissam regularem professionem: Pontas *verb. Jejunium cas. 2. & 3.* cum Silvio, Silvestro, Tabiena, Azorio ibi citatis, Relifenstuel *theolog. moral. tract. 10. de præceptis eccles. dist. 2. quest. 3. num. 44.* Layman *lib. 4. tract. 8. cap. 3. num. 2. & de communi sententia testantur Thom. Sanch. lib. 4. moral. Henno loc. cit. q. 7. conclus. 2. cap. 11. num. 56.* Felix Potestas *tom. 1. part. 3. num. 289a.* Sporer *tom. 1. append. 3. ad præcept. Decalog. sect. 4. num. 49. Sa. Fagundes,* uterque Sanchez, & alii plurimi. Medina tamen, Graf. Asca- 6 nius Tamburin. & alii apud La Croix *loc. cit. num. 1275.* dicunt non teneri, quia præsumi potest regulam non obligare eos sub mortali, quos non obligat ecclesia; & utramque sententiam dicit probabilem, & tutam Thomas Tamb. *lib. 4. cap. 5. §. 7. num. 6. & 8.* Ad jejunia autem 7 ecclesie, de quibus propria regula non loquitur, non tenentur Regulares, nisi post completum annum 21. sicuti ceteri seculares, & sic Fratres Minores ante completum annum 21. non tenentur ad jejunia vigiliarum & quatuor Temporum; Henno *loc. cit.* Felix Potestas *loc. cit.* Sporer *loc. cit. num. 49. & alii passim.*
- Causæ excusantes à Jejunio sunt principaliter quatuor, scilicet Ætas, Impotentia, Labor, & Pietas. Ratione ætatis excusatur à jejunio quoad plures refectio-nes omnes ante completum annum 21. dummodo ad illud non teneantur ex voto, vel professione, ut supra dictum est. Non excusantur autem quoad abstinentiã 9 à carnibus, cum ad ipsam obligentur omnes post annum septimum. Senes quoque ratione ætatis à jejunio excusantur, ut concordant omnes Doctores, qui tamen dis- 10 cordant in assignando, quinam sint tales. Aliqui enim, 11 teste Diana *part. 11. tract. 3. resol. 9.* excusant omnes viros hoc ipso, quod annum 55. attingerint, sed merito rejcti sunt ab omnibus communiter. Alii volunt quod absolute sint excusati, & liberati à præcepto Jejunii senes sexagenarii, quamvis adhuc robustæ sint valetudi- 12 nis; Sanchez *de matrimon. tom. 2. lib. 7. disp. 32. num. 17. & in consil. lib. 5. cap. 1. d. 4. num. 7.* Mastrius *theolog. moral. disp. 12. num. 20.* Felix Potestas *loc. cit. num. 289a.*



Diana part. 1. tract. 9. resol. 20. Navarr. cap. 21. num. 16. Tolet. lib. 6. cap. 4. Marchant. tribunal. part. 1. tract. 3. quest. 3. §. 1. Burg. cent. 3. cas. 4. Trull. Lamas, Angles, Portell. J. Sanch. Castr. Tamb. Sieph. apud La-Croix l. c. num. 1317. Sporer l. c. num. 50. ubi dicit, esse hanc jam communem DD. sententiam, & eam mordicus defendit dicens ex Diana, Marchant & aliis, hanc ætatem 60. annorum esse declaratam à S. Pio V. vivæ vocis oraculo anno 1570. ut refert Lamas infra citandus. Figentum esse hujusmodi quod venditur S. Pii V. vivæ vocis oraculum sexagenarios excusans à Jejunii lege, evidentissime ostendit P. Daniel Conc. in questione à se proposita, ac soluta, quam præmisit editioni Dict. casuum Jon. Pontas factæ Venet. \* Et in Bull. Cruciat. prohibente Regulares ab eorum privilegio quoad usum ovorum, & lactiniorum in quadragesima, excepit sexagenarios, quos declaravit ad Jejunium non teneri, ut sub asseveratione infallibilis tamquam testis oculatus refert Hieronymus Lamas part. 3. methodi cap. 5. §. 20. addens: *Gratias Deo, quod regula deinceps tenetur certa à Summo Ecclesie Pastore decreta.* Et ratio est, quia generatim expedit legis obligationem ita definitam esse, ut sciatur quinam ea comprehendantur, vel non, ne ex una parte facile humana negligentia, ex altera vero nimia sollicitudo, & anxietas oriatur, ergo sicut juvenibus certa ætas definita est, antequam Jejunii lege non obligantur, ita etiam sane senibus definienda erat, ultra quam non obligentur; idque certe potiori ratione, cum majus sit periculum deficientiæ in senectute, quam in juventute; Ætas autem illa rectissime definitur 60. annorum; nam ejusmodi robur senum est illusivum, & ambiguum, & crebra sustentatione indiget, nec est expectandum ulterius, ne omnino deficiat: Nec obstat, quod aliqui ultra eam ætatem robusti, & ad Jejunia habiles reperiantur, quia Ecclesia pia mater intendit obligare secundum communem cursum roboris, & deficientiæ humanæ; *Hæcenus ille.*

13 Alii è contra rectius volunt, sexagenarios teneri jejunare, si per præsentem vires commode possint; Sanctus Antonin. part. 2. tit. 6. cap. 2. §. 6. Pontas verb. Jejunium car. 17. Barthol. Medin. in instr. lib. 1. cap. 14. §. 10. Joan. Medina quest. 9. de Jejunio. Less. lib. 5. cap. 2. dub. 6. Valen. disp. 9. part. 5. Azorius tom. 1. lib. 7. cap. 17. quest. 4. Layman lib. 4. tract. 8. cap. 5. num. 2. Tolet. Lezana, Tanner, Fagundez, Filiucc. Bohacina, Cajetan. Silvest. & alii. Et ratio est, quia pro senectute non est ita definitum tempus ætatis, sicuti pro adolescentia, sed alii citius, alii tardius senescunt: & declaratio facta à S. Pio V. pro ætate sexagenaria, cum fuerit vivæ vocis oraculo, videtur non vigere, cum omnia vivæ vocis oracula fuerint per Gregorium XV. & Urbanum VIII. expressissime revocata. Unde Henno l. c. quest. 7. concl. 7. miratur, quosdam Auctores etiam modernos tali privilegio adherere. Tum quia lex Jejunii obligat omnes jejunandi capaces; sed plurimi sexagenarii jejunare possunt sine gravi incommodo, immo æque commode, ac varii quinquagenarii, ac quadragenarii, cum de se fateatur Navarrus licet vir studiis continuo deditus, quod octogenarius adhuc jejunaret, perinde ac cum esset sexagenarius, aut quinquagenarius; adeoque &c. Tum etiam quia, sicuti, si constet aliquem vere senis esse, ac viribus defecisse circa annum ætatis 50. à Jejunii præcepto liber censi debet, ita & viceversa, si certum sit, aliquem sexagenarium, aut septuagenarium adhuc integris corporis viribus pollere, talis obligatus esse videtur, cum revera senex sine viribus propter ætatem deficient non sit. Et hanc sententiam esse æque probabilem, & magis piam, & tutam fateatur ipsemet Sporer loc. cit. num. 50. in fine, quamvis priorem absolute defendat, & ipsi adherens dicat se secure manere. In dubio, an sexagenarii sint robusti, & habiles ad jejunandum, non tenentur jejunare, quia stante tali dubio exponerent se periculo gravis incommodi. Sic Communis DD. teste Reiffensuel l. c. num. 63.

\* Auctor ex probabilis docet, sexagenarios à Jejunio excusari, sed viri Sancti, gravesque Theologi veluti laxam hanc opinionem rejiciunt. S. Vincentius Fere-

rius Serm. 1. ser. IV. Ciner. A Jejunio, inquit, "excusantur senes in certa ætate, scilicet quando habent tantam senectutem, quæ aufert ab eis appetitum comedendi; vel quia perdididerunt dentes, & comedunt sæpe, vel sæpius, sicut faciunt pueri. Sed senes octogenarii, & novorum, vel amplius, qui semel bene possunt comedere, tales non excusantur in aliquo prædictorum, quin ipsi peccent mortaliter, & ideo cum diligentia omnes jejunemus." S. Antoninus 1. part. tit. 6. c. 11. §. 6. inquit, "Senes si sunt multum debiles, eo modo possunt excusari, sicut dictum est de infirmis. Ratione autem senectutis tantum non excusantur, si sint fortes ad sufferendum Jejunium. Nec est determinata ætas ab aliquo, usque ad quos annos tenetur ad Jejunium." Navarrus in Man. cap. 22. num. 19. inquit. *Impotentia eximit ab hac lege pueros usque ad vigintiannum annum; de senibus vero nil determinari posse contendit, cum alii citius alii impotentes fiant, & cum vel ipsi octogenarii eadem facilitate, ac Juniores jejunare possint, ut de se ipso octogenario testatur Navarrus, & post Navarrum Pontas, & alii: Hinc Sanctus Basilii ser. 2. de Jejunio, dixit: Senibus arduum ac familiaritas ab antiquo ad Jejunium ipsum, levem facit laborem: Vid. Concil. lib. 2. de eccl. Præcept. dist. 2. de Jejunio q. 5. ubi ostendit, falsam esse declarationem viva voce datam à S. Pio V. Idem de foemina dicendum est. \**

\* Asserti hic R. Theologus, quod Auctor ex probabilis docet, sexagenarios à jejunio excusari. Sed quæso attente perpendat ipse tam promptus in censurando Theologus, quænam ibi sit mea opinio, & perspicue comperiet, quod sentio contrarium, sic sub num. 13 expresse concludens: Alii è contra rectius volunt, sexagenarios teneri jejunare, si per præsentem vires commode possint; & evacuo rationes adversariorum, & præsentem declarationem S. Pii V. ac asserto quod de se fateatur Navarrus, qui licet vir studiis deditus, octogenarius adhuc jejunabat, perinde ac ut esset sexagenarius aut quinquagenarius; ut ego ipse parum à dicta Navarræ ætate distans, adhuc Dei gratia adjutus, in presentiarum servo, uti omnibus sociis meis manifeste constat. \*

Senes post annum 60. non tantum excusari à Jejunio ecclesiastico, sed etiam à Jejunii debitæ viro, & professione, ut si quis vivisset toto tempore vitæ suæ jejunare feria sexta, & post sexagesimum annum adhuc satis valens esset ad Jejunium, docent Sanchez lib. 4. moral. cap. 12. num. 54. Tamburin. lib. 4. §. 7. num. 9. Fagundez, Diana, & alii, eo quod, dicunt ipsi, votum, seu professio regularis obligat instar legis ecclesiasticæ; hæc autem juxta ipsos non afficit Sexagenarios quoad Jejunium ergo nec etiam votum. At dato, sed non concessio (nisi adsit legitima excusatio) quod Sexagenarii exempti sint à jejunio ecclesiastico, rectius dicendum est cum Caym. lib. IV. tract. VIII. cap. 3. num. 2. & aliis, eos teneri, ac obligatos esse ad Jejunia ex voto, vel professione debita; quia licet verum sit votum obligare instar legis ecclesiasticæ quoad modum, & formam Jejunii, non tamen quoad personas, & durationem; nam personæ, quæ pro tali tempore non obligantur Jejunio, possunt se sine dubio ad Jejunium obligare voto voluntario; & sponte renuntiare privilegio ætatis, ut patet in juvenibus ante annum 21. adeoque etiam senes post annum 60. manebunt obligati suo voto jejunandi perpetuo feria sexta, & posito quod satis sint robusti ad jejunandum, quamvis eo tempore lege sic Ecclesiastica ad Jejunium non amplius obligarentur. Sic etiam, si alii per legitimam dispensationem commutata fuerit votum castitatis perpetuæ in Jejunium omnibus feriis sextis, remaneret obligatus ad Jejunium etiam post annos 60. nam etiam post talem 60. annum obligaretur ad castitatem; subrogatum autem sapit naturam ejus, cujus loco subrogatur; cap. Ecclesia 3. Ut licet pendens, cum similibus; La Croix l. c. num. 1320. ubi dicit, quod ratio à priori est, quia videtur sic facta commutatio, quando vis fratri matrimonio, tandiu utere jejunio. Tamburin. tamen loc. cit. tenet, talem post annum 60. esse excusatum. At valde mirum, quod difficile habeatur ætas immunis à peccatis, & quod

de facili inveniatur ætas impotens ad onera præceptorum sustinenda: quisque igitur sibi caveat, ne se ipsum in fraudem æternitatis suæ decipiat, dum facile est decipi; ubi credere dicit esse.

Fœminæ, quia citius senescunt, & de se sunt debillioris complexionis, censentur ab aliquibus absolute excusari à Jejunio in ætate quinquaginta annorum, sic Pelliz. Lothar. March. Narbona, neque damnare audeat Diana part. 9. tract. 7. resol. 75. At Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 32. num. 16. & seq. Reiffensuel Theolog. moral. tract. 10. dist. 2. q. 5. num. 64. dicunt; sententiam illam esse probabilem speculative loquendo, sed in praxi non esse tutam, & Layman l. c. cap. 3. num. 20. Tamb. l. c. n. 5. Fagundez, Joann. Sanch. & alii dicunt esse omnino improbabilem, & Layman concludit, se necire aliquem Doctorem Classicum, qui eam defendere: Absit igitur, ut quis illam amplectatur.

18 Ratione impotentia excusantur omnes illi, qui sine gravi aliquo incommodo, vel notabili damno jejunare non possunt; Communis. Hinc excusantur infirmi, & convalescentes; quamvis infirmitatem propria culpa contraxerint. Mulieres prægnantes, aut lactentes, quoties sine gravi incommodo sui vel parvuli jejunare nequeunt, pauperes, & mendicæ ostiatim mendicantes, & quicumque non habent, quo semel sufficienter reficiantur. Quinimmo, si alium cibum invenire non possunt, isti etiam carnes sibi datas licite comedunt, quia necessitas facit licitum, quod aliis est illicitum; cap. Quoniam 1. q. 7. cap. Omnis 1. de feris, cap. Consulisti 3. de celeb. miss. & necessitas non habet legem; cap. Sicut 11. de consecrat. dist. 1. Excusantur etiam qui infirma admodum sunt complexionis, debili stomacho laborant, ut Jejunium in toto, vel in parte tolerare nequeant, & quidpiam cedunt ad evitandum capitis vertiginem vel membrorum tremorem, aut hujusmodi; tale enim quid sumitur ab istis potius per modum medicinæ, quam cibi.

19 Non excusantur tamen qui ob Jejunium molesta insomnia patiuntur, qui enim dormire non possunt, nisi vespere plane refecti, debent in prandio sumere collationem, & vespere prandium; unde merito proscripta est hæc propositio ab Academia Lovaniensi: *Qui dormire nequit, nisi vespere sumpta cæna, non tenetur jejunare; immo neque in prandio collationem sumere, quamvis hoc modo ita incommodo obviare possit, quia nemo tenetur pervertere ordinem refectiois.* Sic Henno l. c. q. 8. art. 1. concludit. unica, & cum multis La Croix l. c. n. 1323.

20 Ratione laboris excusantur omnes illi, qui ad suam, suorumque vitam sustentandam ita laborant, ut sine gravi incommodo jejunare nequeant, fiatque illis Jejunium moraliter impossibile cum tali labore, Communis. Hinc excusantur Agricola, Fossores, & Cœmentarii, Navigarii, Fabri, Ferrarii, Lignarii, Argentarii, Ænearii, Stanearii, Lapidicæ, Pistores, Sutores, Coriarii, opere textorio fabricantes pannos, telas, & hujusmodi, ubi occupantur in operibus gravioribus, & fere per totam diem. Non excusantur tamen Pictores, Sartores, Acupingentes, Notarii, Scribæ, Mercatores, Typographi componentes (aliud est si prælo immediate, & assidue insudent), Medici, Chirurghi, Barbitonsores, & hujusmodi, horum enim, & similibus labor non exhaust rit vires. Non excusantur totaliter à lege Jejunii Indices, Advocati, Consiliarii, Procuratores, Computistæ, Professores, Scholares, & hujusmodi, qui, si sint applicationibus, & studiis assidui, non possunt utique uti largiore collatione, sed non duplici plena refectioe. Si tamen nequeant officium suum exequi cum Jejunio, & sine valde gravi suo incommodo, ut ordinariæ accidit in Concionatoribus integræ quadragesimæ, in professoribus, & ludimagistris per magnam partem diei docentibus, & computistis itidem per tantum temporis applicatis, tunc licet hujusmodi propter mercedem fierent, excusantur à Jejunio; Cajetan. Lessius, Navarr. Filiucc. Laym. Diana, & alii passim cum Sporer. l. c. res. 4. num. 59. &

24 63. Non excusantur à Jejunio reipublice Officiales, nisi laborem exemptioni proportionatum exerceant; Unde Alexander VIII. die 18. Martii 1666. merito damnavit propositionem trigesimam ordine: *Omnes Officiales, qui Ferrar. Bibliothec. Tom. IV.*

in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

Ab obligatione Jejunii excusatur etiam labor honestus, qui non est vitæ sustentandæ necessarius, nisi fiat in fraudem legis, & nisi sit levis, & parvus labor, seu artis parum laboriosæ; Communis, & patet experientia in divitibus, qui laborando sufficienter in die Jejunii eximuntur ab ipso, & habetur ex declaratione Eugenii IV. anno 1440. his verbis à Basseo verb. Jejunium 2. num. 7. relatis: *Opifices suas artes exercentes, aut coloni colendis, serendisque agris, aut aliis ejusmodi rebus operam dantes, sive sint divites, sive pauperes, ad jejunium sub peccato mortali non tenentur, & à Confessariis absolvi possunt, consulendo illis, ut elemosinis, aliisque piis operibus occupentur.* Labor illicitus non excusatur defatigatus à Jejunio, nisi sit periculum alicujus morbi contrahendi. Unde merito Facultas Lovaniensis proscriptis sequentem propositionem, *Defessus ex quocumque labore licito, vel illicito, v. g. cum foemina commisione, liberatur à lege jejunii.* Et ratio est, quia non potest rationabiliter præsumi, quod Ecclesia velit tales reos ab obligatione Jejunii eximere; cum illa, licet benigna, numquam foveat peccatoribus, maxime si suo favore abutantur, & ad peccandum animentur. Undesi debeant defatigationem illam cum aliquo incommodo tolerare, suæ malitiæ, & iniquitati debent imputare. Dicitur autem notanter, *Nisi sit periculum morbi contrahendi*, quia cum teneamur ex lege naturali vitam nostram conservare, ex eadem lege tenemur morbum, etiamsi ex crimine proveniat, impedire: Lex enim Ecclesiastica credit legi naturali. Aliud est de corporis fatigatione, quæ non censetur infirmitas, sed quoddam incommodum, quod possumus licite, immo & merito tolerare sine remedio, ut patet in Cœmentariis, & aliis, qui licet valde fatigati, sæpe tamen jejunant die veneris in quadragesima, & quidem cum magno merito; Hæcenus Henno l. c. art. 2. concludit. 3.

Certum est ex propositione damnata relata ab Auctore num. 24. quocumque laborem corporalem non excusare à jejunio. Itaque plures sunt, qui in republica laborant, & nihilominus lege jejunii adstringuntur. Neque subsistit Eugenii IV. declaratio, quæ ab aliis vivæ vocis oraculum appellatur; Nam S. Antoninus, qui hoc tempore scripsit, istius oraculi non meminuit; Immo docuit oppositum. Nam part. 2. tit. VI. cap. 2. num. 11. §. 6. inquit: *Multum laborantes, quibus imminet necessitas multum laborandi, si non possunt jejunium observare, excusantur. Alii, si possunt utrumque facere, commode, tenentur jejunare.* Hic vero loquitur de exercentibus artes laboriosas, ut sunt Agricola, Fabri lignarii, Lapidicæ, Cœmentarii, Figuli, Textores, Fullones, Lanarii, Bajuli, Aurigæ, alique, & inter hos robustos, & sine notabili incommodo jejunare valentes, teneri ad jejunium affirmat; Item divites artem laboriosam exercentes non ex indigentia, sed majoris lucri gratia, non excusantur à jejunio, ut post S. Thom. 2. 2. q. 147. art. 4. ad 3. docuit idem S. Antoninus per hæc verba: *Si possunt differre... aut subtrahere, vel diminuire laborem, ita ut possint jejunare, & ex hoc non incurrent detrimentum sui status, tenentur ad jejunium;* Demum S. Vincentius Ferrerius ser. 1. de jejunio fer. IV. Cin. ait: *Sutores autem, & Sartores, Notarii, & similes, qui sedendo faciunt opera sua, non excusantur à jejunio.* Fateor tamen, hos & alios Artifices ex necessitate laborantes, si debiles sint, ac sine gravi incommodo jejunare non possint, excusari, non ob laborem præcisè, sed ob peculiarem sui corporis habitudinem, quæ exigit refectio-nem, ut possint laborem artis sustinere. Si ergo talis sit habitudinis homo, ut opera artis cum jejunio sine gravi incommodo componere valeat, jejunare debet. Id vero prudenti Superioribus, & Confessariis judicio discerni, ac definiti debet. \*

Omne iter sive pedibus, sive equo, sive curru, sive aliter confectum, & non susceptum in fraudem legis, nec in finem illicitum (si aliunde graviter fatiger itinerrantem) excusatur à Jejunio; Communis, & certa; Quia cum



cum iter sit quidam labor corporalis, æque est discurrendum de ipso, ac de labore: omnis autem labor graviter fatigans, laborantem excusat à Jejunio, adeoque &c. Quantum autem debeat esse iter pedibus, quantum equo, quantum curru, ut censeatur causare gravem defatigationem, ut sic itinerans excusetur à Jejunio, non est assignabilis una, & certa regula pro omnibus, cum pro diversitate circumstantiarum, personarum, viarum, temporum, & hujusmodi aliqui duabus horis pediantes magis fatigantur, deficiant, & restauratione alimenti egant, quam alii quatuor, aut sex horis itidem pediantes: & aliqui equo, vel curru itinerantes tantum fatigantur, quantum alii pede itinerantes, & è contra. Unde cum Layman loc. cit. cap. 3. num. 4. Marchant. loc. cit. q. 4. §. 4. Sporler loc. cit. num. 58. La Croix loc. cit. num. 1344. & communiore aliorum dicendum est, tunc solum excusari itinerantes à Jejunio, quando cum labore itineris quomodocumque fiat sive pedibus, sive equo, sive curru, non potest (consideratis personis, viis, temporibus, aliisque circumstantiis) consistere Jejunium sine magna difficultate, & incommodo. Semper tamen, & ab omnibus præ oculis habenda est propositio 31. inter merito damnata ab Alexand. VII. die, & anno quo supra: *Excusantur absolute à præcepto Jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiam si iter necessarium non sit, & etiam si iter diei conficiant.*

39 Notanter autem fuit dictum: *Non susceptum in fraudem legis*, quia fraus, & dolus alicui patrocinari non debent; cap. Sedes 15. & cap. Ex tenore 16. de rescriptis; cap. Tux 12. de Clericis non resident. cap. Ex literis 2. de dolo, & contumacia, l. In fundo ff. de rei vindic. l. Cum hi ff. de trans. l. Si Legatarius C. de Legatis, cum similibus. Unde si quis de loco, ubi viget præceptum jejunandi, in fraudem Jejunii se transferat ad locum, ubi non jejunatur, ut si die cinerum de diocesi Papiensi, ubi ad morem Ecclesie Romanæ incipit Jejunium quadragesimale, se transferat quis malitiose in fraudem Jejunii ad diocesim Mediolanensem, ubi more Ambrosiano incipit quadragesima solum prima Dominica; Et die 23. Julii, quo Panormi fit Jejunium, se transferat quis in fraudem Jejunii ad Montem Regalem, ubi illa die non jejunatur, & sequenti die, quo ibi jejunatur, redeat Panormum, peccat graviter arg. citat. Jur. & Concil. Mediolanens. 1. Præsid. S. Carolo Borromeo part. 11. tit. de Jejunio, ibi: *Illorum vero damnamus ingluviem, qui primis quatuor quadragesimæ diebus Romano Ecclesie more instituti, Mediolanum se conferant, patriam ritum in Jejunio, & ciborum abstinencia fugientes; & colligitur à pari ex constitutione Clementis X. incip. Superna, ubi in §. 6. decernitur posse Confessarium Regularem absolvere penitentes confluentes ex alia diocesi à peccatis in ipsa reservatis, nisi eosdem penitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diocesim pro absolutione obtinenda migrasse; ubi ut videt ratione fraudis nequeunt absolvi à reservatis confluentes ad aliam diocesim in fraudem reservationis; sic à pari in casu nostro se transferens in fraudem Jejunii ad alium locum, ubi non jejunatur, ratione fraudis peccat graviter non jejunando.*

30 Et ratio intrinseca est, quia licet quantum est ex se, quis possit uti Jure suo, & sic de loco, ubi jejunatur, transire ad locum, ubi non jejunatur; nemo tamen potest uti tali Jure in fraudem legis, quia Jus nostrum est subordinatum legi ex Apost. 13. ad Romanos, ibi: *Omnia anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo &c. Itaque qui resistunt potestati, Dei ordinationi resistunt, & de Jure tum canonico, tum civili, fraus, & dolus alicui patrocinari non debent, citat. Juribus; Sic tenent Natalis Alexander theol. dogmatico moral. tom. 2. lib. 4. de decal. cap. 5. art. 7. regul. 8. Reiffenstuel Theol. moral. tract. 2. de legibus dist. 3. quæst. 4. num. 41. Felix Potestas tom. 1. part. 3. num. 2905. Rodrig. in Summa tom. 2. cap. 219. num. 2. Sylvius cum Pontas tom. 2.*

verb. Impedimentum Claustrinitatis car. 22. Sa, Fernandez, & alii plures contra Dianam p. 11. tract. 9. resol. 16. & tract. 10. resol. 14. Bonac. disput. 1. de legibus quest. 1. punct. 6. num. 64. & alios plures, quos ibi refert ipse Bonac. & Tambur. tom. 1. lib. 4. cap. 5. §. 2. num. 12. volentes, tamen non peccare, quia videtur uti Jure suo, sequitur etiam in omnibus, & in aliis. Qui autem de loco, ubi jejunatur, non in fraudem Jejunii, sed bonafide, ut g. negotiorum, aut peregrinationum causa, transit ad loca, seu per loca, ubi non jejunatur, non tenetur jejunare, quia lex illa jejunii est affixa loco; Suarez 3. p. q. 24. art. 8. Aloza verb. Lex, Navarr. in manual. cap. 28. num. 120. Felix Potestas tom. 1. part. 3. num. 163. & part. 3. numer. 1907. Fagnan. lib. 3. Decret. in cap. Consilium 2. de observ. jejunior. num. 33. & 36. & alii passim. Sic qui non in fraudem Jejunii, sed negotiorum causa, aut alio rationabili motivo de loco proprii domicili, ubi ob discrepantiam novi, & veteris Calendarii nondum est incepta quadragesima, pergit ad locum, ubi per hebdomadam est quadragesima jam incepta, & observatum Jejunium, non tenetur illo anno jejunare illic per adhuc alios octo dies Pasche ad complemandam integram quadragesimam, sed potest licite se accommodare moribus eorum, apud quos est; arg. cap. Illa 11. dist. 12. ubi Glossa in verb. Societatem refert illud vulgatum. *Si fueris Romæ Romano vivito more.*

Et si sis alibi, vivito sicut ibi. Vide Probabilistarum Dialecticam. Dum homo ad locum veniat, in quo sit Quadragesimæ cursus absolutus, non tenetur quadragesimale jejunium continuare per dies qui juxta proprium Kalendarium supersunt, sed potest se moribus eorum, apud quos degat, accommodare; contra vero, si in loco, ex quo discessit, jejunium absolvit quadragesimale, non tenetur se conformare incolis loci in quem venerit, si secundum istorum Kalendarium adhuc per dies aliquot jejunandum sit. Quis non stupet? Loci consuetudini accommodare se potest homo, dum libere vivendum sit; non debet vero se conformare moribus aliorum, dum de jejunio agitur. Vide vero hæc de re verb. Kalendarium; ubi ostenditur quando quis tenetur ad absolvendum quadragesimale jejunium in iis etiam locis, ubi sit jam Pascha celebratum juxta diversum Kalendarium; quia viget præceptum de servando proprio ritu, & de celebrandis festis, servandisque jejunii juxta proprii Kalendarii præscriptum, ut facere debent Latini, qui inter Orientales versantur.

Sic cum multis aliis Delbene de immunit. eccl. cap. 12. d. 2. sect. 4. Lessius lib. 4. de just. & jur. cap. 2. num. 59. Bonac. disp. 1. de legibus quest. 1. punct. 6. num. 64. Reiffenstuel theol. moral. tract. 2. de legibus dist. 3. quest. 4. num. 40. Fagnan. loc. cit. & alii passim. Et contra vero si talis in loco sui domicilii complexet quadragesimam, non tenetur postea alibi observare illos octo dies; quia præceptum illud jam implevit, & ecclesia tantum obligat ad unam quadragesimam; Delbene loc. cit. & sect. 5. Sanchez in decal. lib. 1. cap. 12. num. 22. Lessius loc. cit. num. 52. Reiffenstuel loc. cit. num. 42. & alii passim; dummodo tamen caveat, ne alii scandalizentur, juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. cap. 7. *Si scandalizavero fratrem meum, non manducabo carnes in æternum. Quid autem dicendum sit de Peregrinis, & Advenis circa Jejunium. Vide verb. Lex à num. 2. ad 30.*

Ratione pietatis excusantur à Jejunio omnes illi, qui operibus præstantioribus, ac majoribus momenti incumbunt, quæ una cum Jejunio absque gravi incommodo perficere nequeunt; Communis. Et ratio est, quia Jejunium præcipitur ut promotivum ad bonum, & non ut impeditivum majoris boni, unde si alia pietatis exercitia præstantiora Jejunio pro tempore, & loco, aliquibus personis occurrant, & ipsa obire nequeant cum Jejunio sine suo gravi incommodo, tunc à Jejunio excusantur. Hinc excusantur Concionatores quadragesimales, si quotidie, aut fere quotidie concionem habeant cum magno labore, & studio; Minime vero Con-

Concionatores illi, qui ob conciones alibi repetitas, vel ob memoriam facilitatem non indigent longo studio, & labore, cum in ipsis cesset causa exemptionis, nempe labor notabilis. Sic excusantur à Jejunio Lectores, & Ludimagistri, quorum labor est notabilis, aut completio debiliior. Item Confessarii complexione debiliores, & suo muneri assidue. Item excusantur Cantores illi, qui ex officio canendi vivunt, & jejunando redderentur inhabiles. Sic de primo ad ultimum excusantur omnes exercentes opera misericordie, tum corporalis, tum spiritualis, quando ea exercere nequeant absque notabili, & gravi suo incommodo. Secus autem, si opera illa possint de facili exercere sine tali gravi incommodo. In dubio autem, an incommodum sit grave, vel leve, ad tollendos omnes scrupulos tutius est recurrere ad legitimum Superiorem pro dispensatione. Qui legitimum Superior in universa Ecclesia est Papa, in sua diocesi Episcopus, & in ejus absentia in sua parochia Parochus, & in Religionibus Superior, nedum Generalis in tota Religione, Provincialis in sua provincia: sed etiam Localis in suo Monasterio, seu Conventu.

35 Filios, seu famulos non servate Jejunium quadragesimæ quoad abstinentiam à carnibus eo quod paternitas dispensatur, nec potest sufficere sumptibus duplicis mensæ, id non sine maxima abusione admittetur. Benedictus XIV. Inst. eccl. 15. §. 25.

36 Jejuniorum observantia Episcoporum vigilantia potissimum à Concilio Tridentino commendata fuit; Benedicti XIV. tom. 1. constitut. 130. incip. Libentissime §. 1. Jejunii diebus unica comestio servari debet ab iis etiam, quibus ob peculiares causas permittitur esus carnis, ovorum, & lactiniorum; Idem constitut. 19. incip. Non ambigimus §. 4. & constitut. 99. incip. Si Fratemitas §. 1. Amplia, sive dispensatio fuerit personalis, sive generalis pro integra civitate, aut loco, sive universitate; Idem constitut. 27. incip. In suprema;

39 Jejunii diebus epulæ licite cum vitibus non sunt apponendæ, non obstante dispensatione super qualitate ciborum; Idem cit. constitut. Non ambigimus §. 14. cit. constitut. Si Fratemitas §. 1. In vesperina refectiuncula carnes non sunt apponendæ; Idem cit. constitut. Si Fratemitas §. 1. Horæ etiam Jejunantibus præscriptæ servari debent; Idem ibid.

42 Quæstiones de Jejunio cum esu carnis jungendo, Pontificis lege dirimuntur in cit. constitut. Libentissime §. 3. Aliæ quæstiones deinde exortæ solvuntur per organum Penitentiarie Apostolicæ; Idem ibid. §. 3. Aliæ vero per literas in forma brevis solutæ fuerunt; Idem ibid. §. 6. Constitutiones de Jejunio editæ, quomodo intelligendæ, interrogatus Pontifex, ipse in constitut. 55. incip. Cognovimus: sic præcise respondit; *Respondemus igitur postulato tuo, Nos in iisdem literis definiendum non suscepisse, an qui ecclesiastica auctoritate ad jejunium excusantur, non solum vitibus cibis uti, sed jusse pariter vespertine abstinentie fines egredi quant. Præcipimus autem Episcopis eorumque delegatis, ut nemini vescendi carnibus, alisque cibis vitibus veniant iribuant, nisi sub gravi imperata simul unica comestione norma. Ita universale istud præceptum pro sua spectantissima vigilantia Gregi tuo indicendum jubeto. Sic expresse respondit Archiepiscopo Valentia die 12. Maii 1742. in citat. constitut. Cognovimus. Ubi, ut videt, questionem in abstracto definire non intendit, sed præscribere legem concedendæ dispensationis.*

45 Jejunii leges æque observandæ sunt tempore quadragesimæ, ac ceteris Jejunii diebus per annum; Idem citat. constitut. Si Fratemitas §. 1. Jejunii leges servandæ sunt, non obstante dispensatione quoad qualitatem ciborum, in vim Bullæ Cruciatæ; Idem constitut. 88. incip. Quoniam §. 6. Jejunii dispensatio per alia opera pia compensari debet; Idem citat. constitut. Non ambigimus; Vide supra, ubi allata est dict. constitutio una cum aliis.

48 Jejunii ecclesiastici leges, necnon naturalis assumptionem Eucharistie, sunt à Græcis servandæ; Idem

constitut. 57. incip. Etsi Pastoralis §. 6. Jejunia, & 49 vigilia Ecclesie Latine observare non tenentur Italo-Græci servantes Jejunia Orientalis Ecclesie. Idem ibid. §. 9. Jejunia Ecclesie Græcæ observari debent à 50 Monachis Rutheni Ordinis S. Basilii; Idem constit. 98. Inter plures, Jejunium in Sabbatis Quadragesimæ, excepto Sabbato Sancto, non præcipitur Græcis, sed tantum absentia à carnibus; Idem citat. constitut. Etsi Pastoralis §. 9. Jejunium Sabbati in Jubilæis, vel 52 aliis indictum, in alium diem transferri conceditur pro Græcis; Idem ibid. Jejunium frangi à Sacerdote uten- 53 te sacris indumentis, quibus alius eodem die usus fuerit, inepta est quorundam de vulgo apud Græcos Melchitis opinio; Idem constitut. 87. incip. Demandatam §. 8.

Jejunii præceptum ante sumptionem Eucharistie non 54 est juris Divini, sed Ecclesiastici; Idem tom. 2. constitut. incip. Declarasti Nobis: Ad confirmanda quæ duximus supra art. 1. num. 26. 55 affertur sequens encyclica fel. recor. Summi Pontificis Benedicti XIV.

«Lettera Circolare della Santità di N. Signore Benedetto PP. XIV. agli Arcivescovi, e Vescovi dello Stato temporale Pontificio sopra la Vigilia di S. Martiria, che in quest' anno 1751. cade nell' ultimo giorno del Carnevale.»

## BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

«Sotto il giorno primo di Genajo del 1748. spedimmo una Lettera Circolare à tutti gli Arcivescovi, è Vescovi del nostro Stato temporale Pontificio, per esporre il dovuto riparo a tre gravissimi inconvenienti, che pur troppo succedevano nel tempo del Carnevale, il primo era quello, che nell' ultima notte del Carnevale tanto s' inoltravano le veglie, i balli, e i giuochi, che s' intaccava il principio del giorno del Quaresima; e in tal maniera, che succedeva alle volte il vedere, che dal ballo, dal giuoco, e dalla veglia, partendo le persone, andavano a dirittura, benchè senza maschera al volto, con gli abiti però così quali si erano mascherati, alla Chiesa per sentire la Messa, e prendere le Ceneri, portandosi dipoi a Casa, e dormendo nel proprio Letto per io meno tutta la mattina del primo di Quaresima. Il secondo inconveniente era, che in alcuni luoghi dello Stato temporale Pontificio permettevasi l' uso della maschera ne' giorni di Venerdì, e negli altri festivi di precetto. Il terzo inconveniente era, che anche nella mattina delle Feste in alcuni luoghi dello stesso Stato, ed anche ne' dopo pranzi nel tempo de' Vespri, e della Dottrina Cristiana, permettevasi a Saltimbanchi il fare il loro mestiere nelle Piazze, e pubbliche Contrade. Demmo i dovuti ripari a' predetti scandali nell' accennata Lettera, che è la 45. nel tomo 2. del nostro Bollario, e quanto in essa fu ordinato, viene anche oggi da Noi pienamente confermato, inculcando l' osservanza ai Cardinali Legati, ai Governatori dello Stato, ed a ciaschedun Vescovo nella sua Diocesi.

«Questo però non è il solo motivo, per cui abbiamo creduto dover da Noi spedirsi la presente nostra Lettera Circolare. Se ne aggiunge un altro, che riguarda l' anno corrente, cioè il Carnevale di quest' anno 1751. nel di cui ultimo giorno cade la Vigilia del digiuno di S. Mattia Apostolo; ed acciò ciascuno de' Vescovi del nostro Stato resti pienamente informato, soggiungeremo quanto in appresso, informando di quanto è seguito in questo proposito.

«Prima che incominciasse l' anno corrente 1751. da varie parti anche remote dell' Italia, ci sono arrivate Lettere di vari Vescovi, e Prelati, che considerando cadere in quest' anno la Vigilia di S. Mattia col digiuno nell' ultimo di del Carnevale dopo